

- Cum iuuit viduos rapta Sabina viros.
 Tunc neque marmoreo pendebant vela theatro,
 Nec fuerant liquido pulpita rubra croco;
 105 Illic, quas tulerant nemorosa Palatia, frondes
 Simpliciter positae, scaena sine arte fuit;
 In gradibus sedit populus de caespite factis,
 Qualibet hirsutas fronde tegente comas.
 Respiciunt oculisque notant sibi quisque puellam,
 110 Quam velit, et tacito pectore multa movent.
 Dumque rudem praebente modum tibicine Tusco
 Ludius aequatam ter pede pulsat humum,
 In medio plausu (plausus tunc arte carebant)
 Rex populo praedae signa petita dedit.
 115 Protinus exiliunt animum clamore fatentes
 Virginibus cupidas iniciuntque manus:
 Ut fugiunt aquilas, timidissima turba, columbae,
 Utque fugit visos agna novella lupos,
 Sic illae timuere viros sine more ruentes;
 120 Constitit in nulla, qui fuit ante, color.
 Nam timor unus erat, facies non una timoris:
 Pars laniat crines, pars sine mente sedet;
 Altera maesta silet, frustra vocat altera matrem;
 Haec queritur, stupet haec; haec manet, illa fugit,
 125 Ducuntur raptae, genialis praeda, puellae,
 Et potuit multas ipse decere timor.
 Siqua repugnarat nimium comitemque negabat,
 Sublatam cupido vir tulit ipse sinu
 Atque ita 'quid teneros lacrimis corrumpis ocellos?
 130 Quod matri pater est, hoc tibi' dixit 'ero.'
 Romule, militibus scisti dare commoda solus!
 Haec mihi si dederis commoda, miles ero.
 Scilicet, ex illo sollemni more, theatra
 Nunc quoque formosis insidiosa manent.
 135 Nec te nobilium fugiat certamen equorum:
 Multa capax populi commoda circus habet.
 Nil opus est digitis, per quos arcana loquaris,
 Nec tibi per nutus accipienda notast;